

illi matrimónio conjungendam curavit, Flaccilam, Arcadium, Marinam sorores ita imbuébat bonis moribus, exercebátque ad virtútem, ut quibus aetate non multum præstábat, eorum moderatrix, ac propemodum mater esse videretur. Qua institutione sorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelli potest, quod Pulcheriam imitæ, se suamque virginitatem Deo devoverunt; utque Augusta virgo ea quæ decreverat amplius confirmaret, omnesque voluntatis suæ testes haberet, ex auro et pretiosis lapidibus sacram mensam in ecclesia Constantinopolitana pro virginitate sua, et fratris imperio dedicavit, et in fronte ipsius mensæ hæc eadem inscripsit.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : * Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua, intènde, prospere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Potior autem ejus in Theodosio instituendo eluxit cura; eumque,

ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat; qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi veréque christiani principis exemplar fuerit, dum Pulcheriæ consiliis est obsecutus. Post diuturnam cum fratre concordiam, turbis malevolorum fraude atque obtrectatione in aula excitatis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deoque vacare posset, secessit in Hebdomum, locum Byssantio suburbanum, ibique vitam agens pene monasticam, aliquamdiu se continuit; cum vero felicitas imperii una cum ea exsularet, a fratre accersita, ubi deesse vidit, qui proelia Domini pugnaret, Deboram imitata, fide ac religione armata processit, et missis in omnem partem epistolis, hortando, monendo, minitendo, non pecunia, non laboribus parcens, digna effecta est, quam patres concilii Chalcedonensis una omnium voce atque præconio custodem fidei, pacis conciliatricem, expultricem hæreticorum, piam, orthodoxam, novam Helenam

(sicut Marcianum tunc imperatorem novum Constantinum) consalutarent; cuique sanctus Leo totius Romanæ Ecclesiæ nomine plurimum gratularetur, ejusque causa exultare se diceret, ac digna Deo vota persolvere, quod de Nestoriana primum impietate, mox et nefario Eutychetis errore perempto, duplicem illi et palmam contulerat et coronam.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

Lectio vj.

Atque hæ tantæ curarum moles, quas præsertim in Ephesino ac Chalcedonensi concilio Romanorum Pontificum auctoritate convocatis, necessario suscepit, nihilo illam ad cetera christianæ pietatis officia obeunda fecere segniorem. Assidue cœlestium rerum contemplatione, sacrorum librorum lectione, corporis afflictationibus sponte susceptis se exercebat; Psalmos de nocte surgens una

cum regiæ familiæ principibus decantabat : Dei ac Sanctorum (quorum et colloquio non semel dignata est) cultrix eximia ; quæ etiam summopere semper contendit, ut erga eorum reliquias cultus augetur. Deiparam in primis coluit, cui hanc ipsam Deiparæ appellationem contra Nestorianorum blasphemias asservit ; voluit namque summa sapientiæ suæ dispositione divina providentia, ut per virginem summa Virginis dignitas inoffensa penitus servaretur : quam etiam est imitata servando perpetuam in ipso conjugio virginitatem ; cujus denique cultui amplificando complura templa regali plane magnificentia excitavit, donariis auxit, redditibus locupletavit. In placanda divina justitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes misericordia plane singulari, quos et materna quadam caritate complexa est quoad vixit, et moriens eorum, quæ assidua effusissimaque liberalitas reliqua fecerat, scripsit heredes. Quod cautum ab ipsa testamen-

to fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari religionis studio, rebusque omnibus imperio dignissimum, ipsa evexerat ad imperium, sibi que hanc ipsam ob causam, salva quam Deo voverat virginitate, conjugem delegerat. Obiit anno quadringentesimo quinquagesimo tertio, magno omnium luctu, maximisque sanctorum Patrum, ceterorumque ejus ævi scriptorum laudibus celebrata.

R. Afferentur. [133]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. xvij.

IN illo tempore : Dixit Jesus : Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Et reliqua.

Homilia sancti Cyrilli Alexandrini.

De Fide ad Pulcheriam, et sorores reginas.

SAne vos sacras castissimasque Christi omnium nostrum Salvatoris sponsas, religiosissimæ ac Deo dilectissimæ imperatrices, orbis terrarum ornamen-

tum, sanctissimarumque Ecclesiarum decus optimo jure quisquis appellaverit, in quibus nimirum omne virtutum genus, omnisque ornatus divinæ majestatis oculis gratus, acceptusque mirifice splendet. Neque his opibus contentæ, omnem quoque curam, omneque studium adhibetis, quo fide recta nullamque in partem vacillante excellatis. Neque Christi regnum capessere, et ea, quæ illi grata sunt, facere et sentire omittitis, partim quidem præclaris actionibus, partim rursus cum vestras, tum principum quoque vestrorum aulas virginitatis gloria decorantes; partim denique sumptuosissima templa Christo Domino excitantes : nam et hoc quoque pietatis studium inter cetera ille sanctis vestris animis impertitus est.

R. Hæc est Virgo sapiens quam Dominus vigilan-tem invenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secum oleum : * Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias. **V.** Média nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obviam ei. — Et veniente.

Lectio vij.

IGitur ex sacris litteris vobis vere sanctis Christi sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abunde instructæ videamini) aliquid deproram. Hinc etenim et Emmanuel verum, ac naturalem Deum, et Virginem matrem, quæ eum peperit, veram per ipsum Deiparam esse planum fiet. Ait Christus, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Si cum solus verique Dei cognitione Jesu Christi cognitionem necessariam consociatamque esse oportet, et hoc ipsum æternam vitam conciliat cui obscurum esse potest Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit interim Verbum.

R. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exite obviam ei. **V.** Prudentes Virgines aptate vestras lampades. — Ecce. **Gloria Patri.** Ecce.

Lectio ix.

ET ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis ut sint unum, sicut et nos

unum sumus. Qualem itaque gloriam Filius a Patre accepisse se narrat, quam nobis deinde communem fecerit? Sane ipse ab hac questione nos liberat, dum ait, Ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum secundum propriam hypostasim alius a Patre esse dignoscatur, naturali tamen identitate unum plane et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud, unum quoque nobiscum factum est? Ad eundem omnino modum, puta, secundum essentialē et naturalem identitatem. At cum divina natura tanto a creatura distet intervallō, ut secundum essentialē cum ea coire nequaquam valeat, ecquo, inquis, modo secundum naturam unum ille factus est nobiscum, qui omnem omnino creaturam excellit? Verbum factus est homo, ut quemadmodum in Deitate unum et idem est cum Patre, ita secundum naturæ humanæ habitudinem sit unum quoque nobiscum.

Te Deum laudamus. 18.

EADEM DIE.

S. Laurentii a Brundusio

Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter seq. Oratio.

DEus, qui ad ardua quæque pro nominis tui gloria, et animarum salute beato Laurentio Confessori tuo spiritum consilii et fortitudinis contulisti: da nobis in eodem spiritu et agenda cognoscere, et cognita ejus intercessione perficere. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio II.

BRundusii, urbe regni Neapolitani celeberrima, piis et honestis parentibus natus est Laurentius. Jam inde a pueritia certissima futuræ sanctitatis, et apostolici, quo maxime præstitit, zeli documenta edidit. A puerilibus nugis alienus, uni Deo vacare cepit, et verba facere ad circumfusam multitudinem, cunctis Dei potentiam, qui linguas infantium facit disertas, admirantibus. Subidem tempus

se totum abstinentiæ, et corporis afflictationi dedit. Seraphicum Capuccinorum ordinem ingressus, et Venetæ provinciæ ascriptus, multo magis in domo Dei sanctitate profecit. Humilitate, obedientia, orationis studio, regulari observantia, omnibus antecelluit. Exacto tirocinio, sacris litteris operam dedit, quo instructior ad apostolicum munus evaderet. Quod erat singulari ingenio et memoria præditus non modo philosophicas et theologicas facultates, sed linguas etiam Græcam, Hebræicam, Chaldæicam, Germanicam, Gallicam, Hispanicam didicit; et quidem ita, ut, cum se dabat occasio, his linguis concionari posset. Hebræica vero lingua ad Hebræos ipsos concionatus est tanta ejus linguæ peritia, quantam non habere se ipsi auditores confessi sunt. Quæ res prodigio similis causa fuit, cur opinio invaluerit, a Deo, quod de Apostolis traditur, linguarum ei donum fuisse concessum. Neque vero hoc solum, sed reliqua etiam charismata, ut eventus docuit, quæ illis,

quos ad magna suscipienda et agenda pro nominis sui gloria elegit, impertiri solet.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio V.

Sacerdos consecratus, tum vero maxime ejus fervor erupit, et se totum procurandæ modis omnibus animarum salutis devovit. Non curis, non sudoribus, non vigiliis, non vitæ ipsi, quam sæpe in discrimen adduxit, pepercit. Vicos, castella, urbes, agros obivit. In aulis principum, in Hebræorum et hereticorum conventus pervasit. Totam fere Europam, Italiam, Germaniam, Hungariam, Hispaniam, Lusitaniam, omnibus beneficiendo, et viam salutis æternæ commutando, peragravit. Omne hominum genus complexus est, Catholicos, hæreticos, Hebræos, nobiles, populares, milites, omnibus omnia factus, ut om-

nes Christo lucrifaceret. Pluribus pro religione catholica ad reges ac principes legationibus functus est. Nullam denique mandati sibi apostolici muneris partem omisit: nunquam cessavit, nunquam quievit. Quo autem fructu, dici non potest. Innumerabiles peccatores ad penitentiam convertit: hæreticos ad ejuranda falsa dogmata adegit: Hebræos confutavit: perditissimas mulieres e vitiorum cœno eduxit: discordias composuit: odia extinxit; nihil non ad Dei gloriam, catholice religionis incrementum, et salutem animarum suscepit, effecitque, Deo ipso opitulante et sermone confirmante, sequentibus signis. Inter quæ celeberrima memoratur victoria de potentissimo Turcarum exercitu præter omnem spem, imo vero desperantibus ducibus, servo Dei præeunte, et felicem belli exitum annuntiante, in Hungaria a nostris reportata.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stollam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi

autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Unde signum missionis spiritualis ad prædicandum est sanatio audientium a morbis vitiorum.

℞. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ✠. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et. Gloria Patri. Et.

Lectio 1^a.

TRia autem sunt signa evidentia, quibus probatur, utrum prædicator a Domino sit missus ad Evangelium prædicandum. Primum est auctoritas mittentis, cujusmodi est Pontificis et maxime Pontificis summi, qui est loco Petri, imo Jesu Christi : unde qui ab eo mittitur, a Christo mittitur. Secundum est zelus animarum in persona, quæ mittitur, quando scilicet, principaliter querit Dei honorem, et animarum salutem. Tertium est fructificatio, et conversio au-

ditorum. Per primum sunt nuntii Patris, per secundum Filii, per tertium Spiritus sancti. De primo : Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. De secundo : Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum. De tertio : Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Et qui sic mittitur, potest dicere illud : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.

Te Deum. 18.

DIE IX. JULII.
Prodigiorum B. M. V.
alicubi sub titulo
Reginæ Pacis.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. Mariæ V. per Annum. [191]

In Añã ad Magnificat
j. Vesperarum et in ℞. vij.
dicitur tuam sanctam
festivitatem.

EADEM DIE.
SS. Nicolai et socior.
Martyrum Gorcomien-
sium. Duplex.

Omnia de Communi plur.
Mart. [49] præter seq.

Oratio.

DEus, qui sanctorum Martyrum tuorum Nicolai et sociorum ejus

gloriosum pro fide tua certamen æternitatis laurea decorasti : concede propitius, ut eorum meritis et imitatione certantes in terris, cum ipsis coronari mereamur in cælis. Per Dominum.

In j. Nocturno, *Lectio-
nes de Scriptura occu-
rente.*

In II. Nocturno.

Lectio 1^a.

Sæculum decimum sextum Calvinianæ pravitatis tumultibus memorabile, insigne christianæ fortitudinis in Belgio tulit exemplum. Anno siquidem millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, novemdecim Martyres, vulgo Gorcomienses, in cruciatus sustinendis, pro asserenda reali corporis Christi in Eucharistia presentia, ac Romani Pontificis visibilis Ecclesie capitis principatu, singulariter enituerunt. Erant ii Nicolaus Pickius Guardianus, cum aliis octo sacerdotibus, et duobus laicis ordinis fratrum Minorum de Observantia : tres parochi : unus sacerdos secularis, alter canonicus regularis sancti

Augustini : Dominicanus unus, et bini Præmonstratenses : quos omnes post arcis Gorcomiensis dedicationem fœdè fragi hæretici carceribus, contumeliis durissimisque tormentis, pro suo in orthodoxam fidem exasperato génio affecerunt ; ac prima nocte in Guardianum atrocius debacchantes, fune cinctorio de superliminari suspensum, crebrisque attractibus convulsam ; rupto tandem fune, pavimento illisum, mortis explorandæ causa, candelis ardentibus admotis, crematæque tota facie, et ore vi deducto, linguam et palatum comburunt : quin etiam insertam naribus flammam in cerebrum submittunt. Atque his aliisque modis indignis Martyres diebus noctibusque subsequenter continue divexabantur.

℞. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis : * Terra apparuit arida, et in Mari rubro via sine impedimento. ✠. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inun-

daverunt. — Terra apparuit.

Lectio v.

Ravígio deinde, extráctis véstibus, bini colligáti, Dordracum primo, Briélam póstea vehúntur, innúmeris utrímque petulántis plebis illusióibus, et insaniéntis militíæ furóribus contúsi : dumque subsannatiónes, flagra et fustes deplúerent, stabant senes (quorum áliqui sexagésimum, áliqui septuagésimum annum excésserant, unus nonagésimum prope attígerat) ad pectus usque nudáti, collo strigóso præ mácie, tum e plagis lívido atque cruénto; et ad síngula vérbera vel pro inimícis preces, vel Deo grates, vel agónis sui commendatiónes, spectánte et insultánte multítudine, rependébant. Inde in fetidíssimum cárcerem conjécti, fame et siti, aliisque torméntis tentáti, ut a cathólica fide recéderent; póstmodum blandítiis allécti, nec minis, nec lenocíniis invíctam Mártyrum fortítudinem flexérunt. Quare cápitis senténcia, multa jam nocte a tyráno lata damnáti, diríssi-

mis cruciátibus affécti, bini colligáti, extra óppidi portas abducúntur.

R. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fierent in domo Dómini. **V.** Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplicia. — Ut herédes.

Lectio vj.

Repértum tugúrium fuit illis últimi certáminis stádium. Alius itaque álium ad constantem martyrii tolerántiam excitulábat : quorum antesignánu Guardíanus ad supplicium raptus, fratres suos ampléxus et osculátus, ab exhortándis sóciis, verbis apostólico fervóre plenís non déstitit; donec ei astríctis fáucibus vocis usum láqueus interceptisset. Post eum réliqui subsequénter intrabemágúntur. Non quiévit hic hæreticæ feritátis barbáries; nam scrutátis íntimis viscéribus, perquisitóque abdómine, pretío venáli exponéndo, Mártyrum córpora, náribus, áuribus, aliisque pártibus mutilárunnt, quas in consummátæ crudelitátis exúvias píleis affixas, infámi ludí-

brio circumtulérunt : tótaque dies expléndæ adventántium curiositáti fuit data; donec quidam cathólici impetrárunnt córpora suffóssæ ibidem humi mandári. Ubi inter médios Ecclésiæ hostes multis annis requievérunt, usque dum indústria piórum, éruta sacra eórum ossa ad partes catholicórum vicinas deláta sunt, ubi mox miraculis claréscere cœpérunt. Quibus permótu Clemens Papa decímuseos in beátis Martyribus annumerávit. Pius vero Papa nonus tértio Kaléndas Júlii anni millésimi octingentésimi sexagésimi séptimi, cum sæculária Apostolórum princípum solémnia haberéntur, Sanctórum fastis ascrípsit.

R. Tamquam aurum. [57]

In iij. Nocturno, Homilia.
Dominus ac Redemptor.
de eodem Communi. [60]

EADEM DIE IX.

S. Veronicæ de Julianis
Virginis. Duplex.

Omnia de Comm. Virgini
um [122] præter seq.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beatam Verónicam Virgínem passiónis

tuæ signis mirábilem effecísti : concéde propítius, ut carnem crucifigéntes, ad gáudia ætérna pervenire mereámur. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio íb.



Erónica de Julianis, ántea Ursula dicta, Mercatéli quod óppidum est Urbaniénsis diocésis, piis honestisque paréntibus nata, ab ipsis incunábulis mirafutúre sanctitátis indicia præbuit. Nam infántula cum álias copiósum lac súgeret, tribus hebdómadae diébus paucas gúttulas mane et vespere gustábat. Vix sex menses nata, die sanctíssimæ Trinitáti dicáto e sinu matris firmis pédibus prosiliit. Adhuc tenélla hóminem quemdam grávis verbis ab injustítia deterruit. Familiári Jesu púeri, beatíssimæque Virgínis consuetúdone fruebátur, et aliquándo divínus Puer ad eam cum lácrymis orántem, ut consolarétur, descéndit; quándoque étiam ab ipsa Deípara illum accépit, prænuntiáto ejúsdem cum Jesu spiri-

tuáli sponsalíto, adjúcta arrha, bello scílicet, quod ipsi sustinéndum fuit ab homínibus, atque inférnis hóstibus. Ad hoc Verónica, cum nondum puerítiam excessísset, sese acínxit humilitáte summa, paríque obediéntia, et veheménti Christum Dóminum pro nobis passum et crucifíxum imitándi desiderio. Ut autem id ubérius consequerétur, ad sanctimoniáles Capuccinas Tiferátas quæ primævam sanctæ Claræ régulam profiténtur, superátis domésticis externisque obstáculis, confúgit.

℞. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabiliter dextera tua. ☩. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, prospere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

AB ipso tirocinio perfectum áliquíd et consummátum jam attigisse videbátur. Sustinuit invicto pectore a dæmone excitátas adversitátes. Ubérrimis intérea grátiae suæ donis victricem sponsam locupletábat Jesus. Sacris stigmátibus eam fuisse signátam, itémque

coróna spinárum alte confixárum, et passiónis insignibus in corde decorátam, ac júgibus pene ecstásibus recreátam, múltiplici testimonío tráditum est. Hæc ómnia amplam molestiárum ségetem Verónicæ pepererunt : non enim defuere qui id omne malis ártibus tribúerent, eámque dicerent pœna omni infámique supplício digníssimam. Ferébat hæc alácríter fortíssima Virgo : optábat étiam ut crudelióra quotidie in se congereréntur pro sponso suo crucifíxo sustinéndam. Trúditur in tenebricosum cárcerem, subjícitur ínfimæ ex soróribus, cui edícitur ut eam acérbe tractet : neque vitam amat nisi summis exagitátam tribulationibus; etsi quandoque désertam se ab sponso ac véluti derelictam conquererétur, quod erat ei torméntum ómnium amaríssimum.

℞. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiae. ☩. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio bj.

QUAM Deo vóverat, moderatóribus consciéntiæ suæ obediéntiam mirábiliter prorsus perfectióne cóluit. Diurníssima jejúnia ex obediéntia transégit : neque vero extrémum emisit spíritum diu cum morte luctans, nisi cum esset jussa mori : quippe sciébat obediéntia nullum sponso suo esse grátius sacrificium. Triginta tribus annis, quibus præsidis obire partes cóacta est, tráditas ejus curæ soróres ad omnem sanctitátem suo præcipue exémpló provexit. Ut patiéndi votis fieret satis, apopléxiæ, qua corrépta fuit, accessere morbi prope omnes qui acerbissimi judicántur. Sustinuit ómnia constanti ánimo triginta tres dies, donec in sponsi Jesu ampléxus evolávit die nona Júlii, anno salutis millésimo septingentésimo vigésimo séptimo, Heroicárum dénique virtútum cúmulo, ac miráculis illústrem Pius séptimus Póntifex máximus Beátam nuncupávit, Gregórius vero Papa décimus sextus solémni ritu

Domínica sanctíssimæ Trinitátis, anno millésimo octingentésimo trigésimo nono sanctárum Virgínum collégio ascripsit.

℞. Afferéntur. [133]

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos. de Comm. [136]

DIE XV. JULII.

Divisionis Apostolorum. Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum [2] præter seq.

Oratio.

DEUS, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitíonem tui nóminis venire tribuísti : da nobis eórum glóriam sempiternam et proficiéndam celebráre, et celebrándo proficere. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. x.

Inis legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam, quæ ex lege est qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est, justítia, sic dicit : Ne dixeris in corde tuo : Quis ascéndet in cælum? id est, Christum dedúcere : Aut quis descéndet in abys-

sum? hoc est, Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei, quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris.

R. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et simplices sicut colúmbæ. **V.** Dum lucem habétis, créдите in lucem, ut filii lucis sitis. — Estóte.

Lectio ij.

COrde enim créditur ad justítiam : ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distinctio Judæi et Græci : nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non crediderunt? Aut quómodo credent ei, quem non audierunt? Quómodo

autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona!

R. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et discite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. **V.** Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum.

Lectio iij.

SED non omnes obédiunt Evangelío Isaías enim dicit : Dómine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatióem vos addúcam in non gentem : in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis, qui me non interrogá-

bant. Ad Israel autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem.

R. Dum stetéritis. [10]

In ij. Nocturno, Lectio- nes. Scriptum est. **de Comuni.** [12]

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangelíi secúndum Marcum.

Lectio viij. Cap. xvj. c

IN illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangelíum omni creatúra. Et reliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ. **Homilia xxix. in Evang. post initium.**

NOtest omnis creatúra nómine omnis natio Géntium designári. Ante enim dictum fúerat, In viam Géntium ne abiéritis : nunc autem dicitur, Prædicáte omni creatúra : ut scilicet prius a Judæa Apostolórum repúlta prædicatio tunc nobis in adjutórium fieret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium superba repulisset. Sed cum discipulos ad prædicandum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit,

nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

R. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclesiám ságuine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amici Dei facti sunt. **V.** In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum — Cálicem.

Lectio viij.

NEque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrget, si de manu Dómini super ratióalem terram illa elécta grana prædicántium non venissent. Séquitur : Qui crediderit et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnábitur. Fortáse unusquisque apud semetípsum dicat : Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, móribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

R. Isti sunt viri sancti,

quos elégit Dóminus in caritaté non ficta, et dedit illis glóriam sempiternam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. *V.* Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam.—Quorum. *Glória Patri.* Quorum.

Lectio ix.

Signa autem eos qui creditúri sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejíciant, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent; et si mortiferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime crédito? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fuérat nutriéndam. Quia et nos, cum arbústa plantámus, tándiu eis aquam infúndimus, quóusque ea in terra jam coluísse videámus : et si semel radicem fixerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguae in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus. 18.

DIE XVI. JULII.

Triumphus S. Crucis.*Duplex majus.*

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capitulum de Laudibus. [463]

Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostol. [2]

Hymnus. Vexilla regis. ut in Brev. 397.

V. Adorámus te Christe, et benedicimus tibi. *R.* Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

Ad Magnif. Añæ. O Crux, splendídius cunctis astris, mundo célebris, homínibus multum amábilis, sánctior univérsis, quæ sola fuísti digna portáre taléntum mundi : dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera : salva præsentem catérvam in tuis hódie láudibus congregátam.

Oratio ut ad Laud. [463]

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Dóminum, qui pepéndit in ligno, * Veníte adorémus.

Ps. Venite, exsultémus. 2.

Hymnus. Pange lingua. *ut in Brev.* 398.

IN I. NOCTURNO.

Añæ. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit : quæ sola digna

fuit portáre prétium hujus sæculi.

Psalmi ut in j. Nocturno de Communi Virg. [126]

Añæ. O Crux admirábilis, evacuátio vúlnerum, restitútio sanitátum.

Añæ. Adorámus te Christe, et benedicimus tibi : quia per Crucem tuam redemísti mundum.

V. Hoc signum Crucis erit in cælo. *R.* Cum Dóminus ad judicándum venerit.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. *Cap. iij. b*

Uicúmque ex opéribus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim : Maledíctus omnis, qui non permánerit in ómnibus, quæ scripta sunt in libro legis ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo justificátur apud Deum, manifestum est : quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed, Qui fécerit ea, vivet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : Maledíctus omnis qui pendet in ligno; ut in Géntibus benedíctio Abrahæ fieret in

Christo Jesu, ut pollicitatióne Spíritus accipiámus per fidem.

R. O Crux benedicta, * Quæ sola fuísti digna portáre regem cælórum et dóminum. *V.* O Crux gloriósa, o Crux veneránda. — Quæ.

De Epístola ad Philipépenses.

*Lectio ij.**Cap. ij.*

HOC enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitrátus est esse se æquálem Deo : sed semetípsum exinanívit formam servi accipiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nómine Jesu omne genu flectátur cælestium, terréstrium, et infernórum, et omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

R. O Crux gloriósa, o Crux veneránda, o lignum pretiósum, et admirábile

signum: * Per quod et diabolus est victus et mundus redemptus. **V.** O Crux admirabilis, evacuatio vulnerum, restitutio sanitarum. — Per quod.

De Epistola ad Colossenses.

Lectio iij. **Cap. ij. b**

In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: et estis in illo replati, qui est caput omnis principatus, et potestatis: in quo et circumcisi estis circumcissione non manufacta in exspoliatioe corporis carnis, sed in circumcissione Christi: consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis, et praputatio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: et exspolians principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

R. Hoc signum Crucis

erit in caelo, cum Dominus ad iudicandum venerit: * Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri. **V.** Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, et coeperit iudicare saeculum per ignem. — Tunc. **Gloria Patri.** Tunc.

In II. Nocturno.

Aña. Salvator mundi, salva nos: qui per Crucem et sanguinem tuum redemisti nos, auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

Ps. Deus noster refugium. **ut Feria iij. ad Matut. 71.**

Aña. Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit, atque cruore suo vulnera nostra lavat.

Ps. Omnes Gentes. **72.**

Aña. Nos autem gloriarum oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi.

Ps. Magnus Dominus. **72.**

V. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

R. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Lectio ii.

Ex Roderico Archiep. Tol.



Alphonsus Castellae rex, cognomento Bonus, cupiens damnare Christianis a Mauris Baeticam totamque il-

lam australem Hispaniae plagam possidentibus illata resarcire (semel enim ab eis fuerat superatus), magnum conflavit exercitum: reges finitimos ac dynastas sollicitavit, condonationes a summo Pontifice Innocentio tertio impetravit, ut, in eo pio bello qui caderent, nullis capitalibus commissis praepedirentur, quominus ad caelos statim evolarent. Quare tantus ardor tuenda christiana ditionis ac pietatis plerisque invasit, ut flagitium flagitiosissimum ducerent a tam piis castris abesse. Ingentes Tolatum copiae jam ad regem Alphonsum confluerant: jam Petrus Aragoniae rex haud contemnendam manum contraxerat: jam regem Navarrae Sanctium adventare fama vulgaverat: jam proceres, jam Episcopi (sed Toletanus ante alios) fulgentibus stipati catervis regium latus cingebant: cum omnes, non sine numine Christi profecti, ditionem Maurorum invadunt.

R. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit: * Quae sola digna

fuit portare pretium hujus saeculi. **V.** Hoc signum Crucis erit in caelo, cum Dominus ad iudicandum venerit. — Quae sola.

Lectio v.

Nonnulla sunt in via obiter expugnata oppida ignobilia. Sed quinto denique die Calatravam, quae firmo Maurorum praesidio tenebatur, primo impetu capiunt. Alarcos deinde ducunt, ubi se rex illis Navarrae conjunxit. Maurorum rex, qui ingentem Giennium contraxerat exercitum, ubi nostros comperit in radicibus montium consedissee, equitatus partem praemisit, quae montium ad angustias incompósitos insidiis exciperet, ipse lentiore gradu cum reliquo subsequitur exercitu. Alphonsus tamen rex equitum jam turmam miserat ad summa montium occupanda, qui fugatis strenue Mauris montis planitiem (Navas Tolosae vocant) tenere, castris locum delegere. Laetus Alphonsus, quod cacumina sui montium profligatis hostibus tenuissent, omnem jubet exercitum eo conscendere. Difficiliis admo-

dum erat ascensus, sed a peritis locorum turmatim ducti a fastigia montis omnes evaserunt, et eo die proximoque proelio abstinuerunt. Nocte media, quæ diem a superato monte secundam est consecuta, christiani voce præconis jubentur mentes per sacramentalem confessionem mundare, corpora curare, arma, equos expedire, signum pugnae prima luce intenti expectare. Quod tam omnium plausu gratulationeque exceptum est, ut noctem, quod tarda iret, incusarent.

R. Crux alma fulget, per quam salus reddita est mundo : * Crux repellit omne crimen, alleluia.
V. Crux vincit, Crux regnat. — Crux repellit.

Lectio vij.

Orta luce et a multis sacra accepta Eucharistia, ab aliis archiepiscopali benedictione loco communionis suscepta, Alphonsus eductis omnibus copiis aciem instruxit, curas inter reges ac proceres partivit. Haud tamen potest summam dici, quem quisque locum tenuerit, quam quisque

partem tuendam acciperit : satis ex eventu perspicuum est omnia præclarissimi ducis Alphonsi munia fortissime sapientissimeque obiisse. Consertis igitur manibus (ut reliqua nunc prætermittam) acriter pugnatum est, ancepsque diu victoria fuit, adeo ut Alphonsus rex ad Toletanum Antistitem diceret : Eja, Archiepiscopo, hic nos, hic moriamur. Cui Archiepiscopus : Nequaquam moriemur, o rex; imo feliciter vincemus. Quod et faventibus superis factum est. Nam Mauri victi ac occisione occisi sunt. Rex eorum cum quatuor equitibus proelio fuga se subduxit. Ducem millia Maurorum occisa memorantur, cum ex nostris viginti quinque solum fuerint desiderati. Miraque in hoc proelio contigerunt. Numerus primum occisorum in tanta paucitate Christianorum. Crux item in medio conflictu, cum nostri maxime laborare viderentur, Alphonso quam plurimisque aliis visa est in ære. Præterea Crux, quæ Præsulem ante Toletanum de more gesta-

batur, bis (incolumi signifero Dominico Paschasio, Toletanæ Ecclesiæ canonico) aciem hostium sublata penetravit. Denique ad præsentiam imaginis beatæ Virginis Mariæ, quæ in vexillis regiis depicta erat, ingens Maurorum multitudo corruit. Quare et quod Christianis symbolum ac insigne Crux erat, triumphus sanctæ Crucis hæc præclara victoria appellata est, obtenta decimo septimo Kalendas Augusti anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo.

R. Tuam Crucem adoramus Domine, tuam gloriosam recolimus passionem : * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.
V. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi : quia per Crucem tuam redemisti mundum. — Miserere.
Gloria Patri. Miserere nobis.

In III. Nocturno.

Añã. O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare regem cælorum et Dominum.

Psalmi ut in iij. Nocturno de Comuni Virg. [134]

Añã. Hoc signum Crucis apparébit in cælo, cum

Dominus ad iudicandum venerit.

Añã. Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua vita pependit, in qua Christus triumphavit, et mors mortem superavit in æternum.

V. Omnis terra adoret te, et psallat tibi. **R.** Psalmum dicat nomini tuo Domine.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. xxj. c

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Cum audieritis proelia, et seditiones, nolite terri : oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil. xxxv. in Evang.

Dominus ac Redemptor noster perituri mundi præcurrentia mala denuntiat, ut eo minus perturbent venientia, quo fuerint præscita. Minus enim jacula feriunt, quæ prævidentur : et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præsciencie clypeum munimur. Ecce enim dicit : Cum audieritis proelia et